

*Argia* sequitur ; hodie *Romania* Ort. Vrbes hujus tractus *Micene*, regia *Agamemnonis*, unde Ovid. *Agamemnonia*, dictæ celebres à templo *Iunois* vetustissimo, unde *Argiva Iuno*. Eam *Cyclopes* muro scribuntur cinxisse, *εγχειρογράφες* ab arte quam exercebant nuncupati. Non procul inde fuit *Lernæ* palus, ubi Hercules *Hydram* *Lernæam*, seu potius latrones ad ea loca latrocinantes, sustulit, vicit & dissipavit. *Argos* exstructa, ut aliqui perhibent, ab *Argo* *παντόθη* illo ; nam *Centum* *luminibus* *cinctum* *caput Argus* habebat, Poëtarum carminibus *Agenoris Regis Phœniciae* filio celebrato. Aristoteles inter CL Respub. quas Diogene teste descripsit, Argivorum etiam Rempublicam depinxit. *Nauplia* dicta *Ναυπλία*, id est, quod *huc navibus applicetur*, ut ait Strabo: vel quod hic *Nauplius* Neptuni & Amymones filius regnavit ; hodie *Neapolis* *Romania* urbs munitissima. Post *Naupliam* fuere Labyrinthorum ædificia & specus ingentes. *Epidaurus* in Saronici Sinus recessu, *Æsculapii* templo celebri referto tabellis, ab eo, ut homines superstitione credebant. Curatorum consuetudo erat ut noctu ægroti in eo dormirent, atque hoc modo in somnis à Numine curari dicebantur. Fuere item *Hermione*, ubi nobile quondam *Iunonis* virginis templum. Hanc Strabo inter claras Argia civitates ponit : *Trezen* sacra Neptuno, atque ideo dicta *Poseidonia*, & aliae. *Argiam* sequitur *Laconica* sive *Laconum* regio, in quorum ditione Strabo, præter Spartam triginta urbes fuisse testatur : superioribus autem temporibus centum, atque ex eo dictam *Hecatopolin*; sed & *Hecatombas* propterea, quod pro urbium numero boves C immolarentur. Metropolis *Sparta*, quæ etiam alio nomine vocatur *Lacedemon*, hodie *Misifbra*, urbs olim magna & potens, quam idcirco etiam *κατέστω* vocaverunt. Fuit hæc *ανίσχο*, non muris, sed civium virtute septa, non hinc operum magnificentia, sed disciplina institutis que *Lycurgi Pomponio* memorabilis, & quæ cum Athenarum urbe deinde de Imperio dimicavit, quemadmodum *Thucydides* id libris 8 exposuit. *Spartani* fuere *Lysander* & *Agesilaus*. *Lycurgus* vero leges *Spartanis* tulit. *Leuctra* nota è Plutarcho à filiarum *Scedasi* tristi & tragica historia. *Epidaurus* quæ hodie *Matafia*, *Amicla* olim *λιμνα*. *Messenia* à *Taygeto* monte & fluvio *Pamiso* ad *Alpheum* usque porrigitur. Primaria ejus urbs *Messena* ad mare sita, hodie *Mattagia* dicitur : *Aristomenis* *Messenii* præstantissimi viri patria, qui referente *Pausania*, hirsutum cor mortuus habuisse deprehensus fuit. Sunt & *Methone*, nunc *Modon*, insignis quondam & nunc *Sangiaci* *Turci* sedes. *Corone*, nunc *Coron*. *Pylus* patria & sedes *Nestoris* Homericæ trisecli illius & dulciloqui, *Ἐγένετο γλώσση μέλιτο*. *γλωσσὸν ἔειν αὐδὴν*. Et cuius tota senecta, ut scripsit *Philostratus*, *hilaris* & *læta* fuit, ridentique simillima. Dicta quoque fuit *Sphacteria*. Et *Cyprisi* hodie *Arcadia*, urbs ma-

*Græcia.*

ritima. *Elis* inter *Messeniam*, *Achajam* & *Arca-diam* sita est. Vrbs *Elis* per quam medium *Peneus* & *Alpheus* fluebant, memorata *Iovis delubro*, ludorum claritate fastos Græcorum complexa. Pindari autem interpres *Elidem*, *Pisam* & *Olympiam* in unam urbem contrahit, alii vero distinctas esse volunt. *Olympia* celebris à ludis Græcorum solemnibus, quæ *Olympia* dicta fuerit, & templo *Iovis Olympii* sumtuosissimo, quod hominum frequentia potentissimorumque Regum dñariis adeo crevit, ut in tota fere Græcia nullum fuerit magnificentius, nullum clarius opibus, nullum fama magis celebre, cum etiam *Iove ipso* nihil ibi putaretur sanctius, nihilque augustius. *Cypselus* Corinthiorum tyranus, *Iovem* totum aureum *Olympiae* consecravit. Sic congregabantur gaza Macedonum in unius idoli oraculum, & hoc quidem per se mutum. Nec minus dementiae rabies *Phidiam* Atheniensem agitavit, qui simulachrum ejus Dei ex ebore & auro stupenda & insolita magnitudine erexit, utpote pedum 60. In quo opere illud ab aliis artificibus reprehensum, quod simulachri ad templum nulla esset proportio. Cum enim in eburneo throno federet *Iupiter*, capiteque templi fastigium contingenteret, necesse erat, si quando sedendo defatigatus eburneus ille Deus surgeret, ut templi culmen una cum tecto dejiceretur. *Cyllene*, *Leprinus*, *Coryna*, *Myrinus*. *Achaja* ab *Ptolemæo Propria cognominata*, ab *Araxo* promontorio usque ad *Sicyonios* extenditur, quorum terminus communis est *fluvius Sus*; ad *Austrum* est mons *Stymphalus*, ad *Septemtrionem* *Sinus Corinthiacus*. Vrbes *Dyme*, quæ nunc *Chiarenza*, unde promontorium *Araxeum* vocant *Capo di Chiarenza*; *Olemus*, *Patra* urbs insignis olim nunc *Patras* dicitur; *Agium* urbs recentioribus temporibus *Vostiza* vel *Bostizan* dicta, & à *Turcis* excisa. *Aegira* urbs quondam primaria in colle aspero atque difficiili posita, quæ nunc diruta jacet & *Xilocastro* dicitur. Et in *Crissæo* *Sinu Helice*, *Bura*, *Pellene* *Sicyonia* inter *Achajam* & *Asopum* sita; primaria ejus urbs *Sicyon*, omnium Græcarum urbium vetustissima, & tempore *Abrahæ* condita, templis, aris, statuis, simulacris plenissima. Fuit & *Phlius*, quæ forte ea est quam hodie vocant *Vaficon*. Supereft *Arcadia* regio Peloponnesi mediterranea, undique à mari remota. Hæc aliquando dicta est *Pelasia*, aliquando *Lycaonia*, aliquando *Gigantis*, aliquando *Parrhasia*. Incolæ se ante lunam satos jactitabant. Montes habet 76, valles fertiles & amenas, incolas olim rei pecuariæ deditos & agriculturæ. Hinc ista, *Arcadicum* pecus, *Arcadii* mores, *Αρκαδινὴ βλάστησις*. Hujus urbes *Megalopolis* patria *Polybii* gravissimi ac sapientissimi scriptoris. Hodie *Leontari* dicitur. *Stymphalus*; unde *Stymphalis* palus, & aves *Stymphalides*, *ἀνδροφάνη*, *ἥσιδηροπέπερι*: *Pausania*. *Lilæa*, *Mantinea*, *Psophis*. Civitates autem totius Peloponnesi nobilissimas, quasi compendio com-

E

plexius